DE EMOLUMENTIS QUÆ EX ANATOME COMPARATA, ATQUE EX INSTITUTIS IN…

Andrea Pagani Cesa

DE

EMOLUMENTIS

QUAE

EX ANATOME COMPARATA, ATQUE EX INSTITUTIS IN BRUTA EXPERIMENTIS SCIENTIAE MEDICAE PROVENERE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

Ad Medicinae Lauream

RITE ASSEQUENDAM

In Celeberrimo Archigymnasio Patavino

PUBLICE PROPONIT

ANDREAS PAGANI-CESA

BELLUNENSIS

PATAVII

TYPIS CARTALLIER

MDCCCXXXVI

THOM. ANTONIO CATULLO

HISTORIAE NATURALIS IN ARCHIGYMNASIO PATAVINO P. O. P. PLURIMARUM ACADEMIARUM SOCIO ETC. ETC.

Hasce perpaucas pagellas Dissertationis, quam ad Medicinae Lauream assequendam proposui, mei muneris existimavi, Tibi, Professor perillustris, offerre, Tibique commendare. Argumentum quod evolvendum suscepi, est pars illius scientiae, quam Tu magna cum alacritate et laude profiteris in hoc celeberrimo Archigymnasio, mihique in mentem revocat non paucas ex iis cognitionibus, quas aure bibere mihi datum fuit, quum ex cathedra Te audiebam loquentem. Fateor quidem Te

summopere indignum hunc parvum meum laborem esse; ast si ingenii tenuitas opus mngis perfectum conficere mihi non permisit, solita ingenuitate Tun errores, in quos fortasse inciderim emendes, precor, virium pnrcas debilitati, meamque voluntatem aequi bonique facias vehementer exoro. Quod si hunc parvum libellum Tibi dicavi, illud praecipue in causa fuit, ut quo melius potuissem Tibi pignus offerrem illius observantiae atque amoris, quo Te sponte unusquisque prosequitur, statim ne Te novit, Tuasque miratus est virtutes insignes. Nam si propter ingenii qualitates omnium aestimationem meruisti, non in proximioribus civitatibus solummodo, verum etiam in praecipuis Europae Academiis, quarum pluribus honorifice adscriptus es; animi qualitates cum illis ingenii mutuo contendunt, ut Te chariorem, atque aestima-

tione dignum magis magisque faciant coram omnibus, qui Te prope cognoscunt. Egomet inter hosce ultimos fui; natus enim, atque educatus in eadem Urbe, quae Tua patria est, cuique non parum decoris attulisti, usque a primis meae vitae temporibus amore, et reverentia te prosequebar, et propter meam non injuvandam vitae consuetudinem, nunquam ab ingeauis animis obliviscendam, quae meum charissimum patrem Tibi propius devincunt, et propter desiderium illud nobis innatum, quod nos impellit, ut illos miremur, qui non vulgaribus virtutibus adornaatur, et patrio nomini, decus, et gloriam addere valent. Atque eo magis mea, erga Te, revereatia adaucta est, quum Te Magistrum in ardua, quam sum professurus, scientia habui, Tuasque aaimi, atque intellectus qualitates melius cognoscere mihi concessum fuit.

Optabam, ut mei animi sensus, quibus hunc meum tenuem laborem dicavi, Tibi paterent: me felicem! si Tu novum, innumera etsi jam dederis, pignus mihi amoris exhibens, indulgentiaque amplissima agens, meum parvum opus tanquam argumentum meae reverentiae, aequi, bonique facias. Vale.

Devinctissimus Auctor

Perantiquae Academiae consuetudo, quum ad aliquid Medicis de rebus, hodierna luce disserendum impellat, equidem fateor, Praeclarissimi Professores, diu multumque saepenumero cogitasse, quodnam in tanto scientiarum fastigio, magis mihi aptum evolvendum argumentum suscipérem. Urgebat una ex parte officium, ex altera deterrebat virium exiguarum conscientia, ac medicarum doctrinarum brevitas. Haud enim mihi difficilis negotii erat novisse, juvenem Laurea corona condecorandum, vix Scientiae principia delibantem, raro sane cum laude aliquid novi in medium proferre posse. Vestra nihilotamenseciua fretus indulgentia, edditis animo viribus, illa quae dissertatiunculae decet brevitate, aliquid de utilitate Anatomiae comparatae, atque de experimentis in brutis, ad Medicum scopum instituendis, mihi disserendum proponam; Vos benignos,

humanosque, utpote in praeteritum semper finistis, et nunc deprecans, instanterque rogans

Hominis oeconomia, minime ab universa externa natura sejuncta, a Medicinae cultoribus occurrit consideranda; sed animadvertendum est, utpote a veteribus Graeciae Philosophis enunciatum fuerat, qua naturae universalis particula, arctissimo nexu cum exterioribus potentiis omnibus colligata. Ex vinculis vero quibus organismus cum natura generatim considerata nectitur, majora sunt illa, quae inter hominem, ac entia existunt organisatione donata, maxima, quae inter ipsum ac regni animalis entia superiora intercedunt, tum propter puncta ea plura contactus, quae cum brutis nos uniunt, tum propter maxime admirandam, inter hominem, et animalia, summalis constructionis analogiam.

Ex eo statim prima fronte percipi poterit, quod haud recte certe Medicus ille cogitaret, qui perfectam, omnibusque numeris absolutam humanae oeconomiae cognitionem sibi comparare studeret, seorsim a naturae universalis philosophia, atque in primis seorsim a regni animalis studio atque ab observatione phoenomenorum, quae bruta diversa, vel per se, vel experimentis ad scopum institutis tentata, edere valent. Tali enim pacto adminiculis pluribus ipse destitueretur, ad penitiorem ipsius corporis fabricam investigandam, atque ad leges illas indagandas, quibus hu-

manum corpus regitur atque gubernatur, quibusque quacunque ratione a norma aberrantibus, fieri debet ut vitae integritas serius onus pessumeat, ut, uno verbo, infirmitatum adparitio succedat. Tanta enim sunt, ut in posterum observare nobis datum erit, ex anatome comparata, atque ex institutis in animalibus periclitationibus, emolumenta, quae in artem medicam redundant, ut hoc studiorum genus, quovis sub adspectu Hygeae ministro haud tantum qua ingenii oblectamentum coli mereatur, verum etiam qua summopere necessaria institutio ab ipso et comparari, et promovera debeat.

Ne vero credatur, quod principia illa quae nos profitemur, perperam nunc a juvene prima scientiae medicae principia libante, tantummodo proferantur, operae praetium erit animadvertera, quod jam a Medicinae incunabulis anatomes comparata, atque experimentorum in bruta instituendorum necessitas, ab omnibus philosophiae, atque Artis salutaris cultoribus, semper maxime habita fuerit, quod Medicinae gressus aequo semper ordine cum horum studiorum cultura processerint, quod tandem summi in scientia nostra viri, enixis viribus in illa incumbere haud sibi dedecori, ast laudi potius profuturum arbitrati fuerint.

Philosophiae, ac Medicinae historia, haec luculenter comprobat. Nam apud gentes illas, quas a secandis hominum cadaveribus religionis cul-

tus, vel superstitionis vis deterrebat, omnes certe cognitiones relate ad anatomem humanam ortas ex animalium sectionibus jure ac merito credere licet. Quas vero Anatomiae notiones in *Hippocratis*, *Celsi*, atque *Galeni* operibus contineri non novimus, etiamsi morum, quibus ipsis erat obtemperandum, gratia, ab hominum obductionibus prohiberentur? Non ne memoriae posterum tradidit historia, *Democritum*, atque *Aristotilem*, plurimum operae in animalium anatomen, inque supra bruta institutas experientias contulisse? Ast, ut de tenebrosis illis sileamus temporibus, quum post barbarorum incursiones literae atque scientiae, nostra in Italia iterum coli coepisseut, eodem tempore, quo, maxima animorum deflagratione, Medici omnes humanae colendae operam dabant Anatomiae, ii ipsi magna sedulitate bonam, et de animalium studio, et de phoenomenis ab iisdem editis operam navare contendebant. Nomina illustria satis est proferre *Falloppii*, *Fabricii ab Aquapendente*, *Vesalii*, *Borellii*, nec non Angli *Harvey*, aliorumque, per quos et humana Anatomes, et comparata valdopere culta est, atque promota. Atque nobis magis proximis temporibus non ne post *Boerhaavium*, *Hallerum*, ac *Daubenton*, Physiologi quotquot sunt, inter caeteros celeberrimi, omnem studium, omnemque in id operam contulare, ut per ipsos animalium oeconomiae leges clarius innotescerent, ut-

que, quousque fieri potest, per brutorum vitae phoenomena, humanae oeconomiae functiones explicarentur, vel saltem minoribus circumdatae conderent difficultatibus? Quid neotericorum *Cuvier*, *Blumenbach*, *Meckel*, *Malacarne*, *Edwards*, aliorumque nomina, quum eorundem fama per universam Europam, quod Medicina ab illorum in brutis observationibus nacta est emolumentum, undique celebrantur?

Sed ut luculentius id quod protulimus, quod scilicet animalium studium, medicae scientiae maximas afferre valet utilitates, appareat, haud a re alienum puto, cuncta illa qua fieri potest brevitate, animadvertere singillatim:

1.° Quaenam Anatomia comparata, humanae Anatomiae lumina subministrare possit.

2.° Quaenam emolumenta animalium physiologia, atque periclitationes in ipsa institutae, hominis physiologiae afferre valeant.

3.° Quomodo observationes ipsae, Pathologiae, atque Jurisprudentiae Medicae inservire possint.

4.° Quomodo instituta in bruta experimenta, lucis esse possint Chirurgiae.

5.° Tandem quae et Therapiae emolumenta afferre valeant experientiae haec, super animalia convenienter instituendae.

Quod Anatomes comparata, maxima hominis Anatomiae lumina, suppeditare valuerit, praeter illa quae superius ratulimus, plura adsunt argu-

menta ex ratione, ac facto petenda. Et revera: quum organisatio hominis, magnam saepe saepius cum organisatione animalium quorundam praesentet analogiam, fieri necessario debet, ut brutorum sectiones ad rectius investigandam corporis humani fabricam inservire possint. Praeterea, quum in animalibus partes quaedam majori, ac in homine, volumine praeditae animadvertantur, necessario fieri debet, ut ipsae quoad minutiorem structuram, atque intimam naturam, lumina anatomiae saepe saepius maxima suppeditare valeant, ad analogorum organorum fabricam humana in oeconomia inquirendam. Quarum quidem rerum Anatomiae ipsius historia adeo frequentia offert exempla, ut illa referentes crambem recoquere videremur. Satis superque sit memorare ductum thoracicum priusquam in homine, in equo inventum, vasorum chyliferorum, atque glandularum mesenterii cognitam structuram, exindeque cognitum officium prius in animalibus ac nostro in organismo. Et ut de recentioribus tantum loquamur, celeberrimus *Panizza*, vascularem internam corporis nerveo-spungiosi structuram ex institutis in bruta periclitationibus, praesertim in cane, urso, equo, demonstravit. Idem Anatomicus, uti doctissimus observat *Omodes*, multiplicem venosam congeriem in pene, nec non ad uretralem superficiem examinans, putans quod hoc, opinionem illorum, qui credunt absorptionem citissimam

a superficiali systemate venoso in iisdem partibus fieri, firmare valeret; exactissime organon illud, prius in bruta, postea vero in hominem observans, systema vasorum lymphaticorum in pene invenit. Ex repetitis vero periclitationibus, praesertim in ansere, vasa lymphatica tubi gastroenterici mirifice demonstravit, et ex hisce experimentis, sequentia Medicae scientiae summi momenti, corollaria deduxit:

1.° Communicationem non adesse inter vasa lymphatica, arterias, venasque, ductibus thoracicis exceptis.

2.° Vasa lymphatica nunquam ex arteriis originem ducere, et ab illis nunquam vasas enascere.

3.° *Lippi* opinionem, omnino falsam habendam, qui putat adesse in abdomine vasa chylifera refluentia, quae ad peculiares glandulas lumbares pergunt, ex quibus vasa lymphatica exoriuntur, quae in uraterem, et pelvim renum finem habent.

4.° Tandem vasa lymphatica abdominalia, nullam cum venis ejusdem regionis comunicationem habere, ut *Lippi* crediderat. (*Panizza*, osservazioni Antropo-Zootomico-fisiologiche. Pavia 1830).

Ne tamen exinde deducatur, nos negare velle, quod brutorum sectiones, tum et quando magnos in errores, quoad humani corporis fabricam, Anatomicum inducere possint, praesertim si praepostera inductione aliquas quae in bruta ob-

servavit, ad hominis structuram referre properet. Equidem et nobis nota sunt tum veterum, tum recentiorum deliramenta, ex eo procedentia, quod Anatomiae comparatae studio abusi sunt. Cuinam enim ignotum, quod haud semper analoga corporis fabrica reperiatur inter hominem, atque animalia etiam illa, quae cum ipso maxime convenire videntur? Ast quidnam exinde deducendum? Quod Anatomiae comparatae studium inutile censeri debeat? Quantum id foret absurdum satis est videre, quando consideretur, quod nulla scientia sit, etsi utilissima humano generi, qua tum, et quando ingenia non abusa fuerint. Hoc loco, cum magno Bacone, nobis concludere placet, qui ita ait: « Mera experientia, et se tantum » sequens, mera palpatio est, et homines potius » stupefacit, quam informat. At quum experientia » lege certa procedit seriatim, et continenter, de » scientiis aliquid melius sperari potest. »

Ast longe majora emolumenta illa censenda sunt, quae animalium studium Physiologiae subministrare valet Placet nobis quoad hoc quaedam ex celebri *Cuvier* decerpera, qui in epistula tractatui illi, quem conscripsit Anatomiae comparatae, praeposita, evidenter officia, quae brutorom vitalia phaenomena humani corporis physicae praestare valent, declaravit. Quum enim de explicatione vitae functionum sermonem haberet, ita semet exprimit: « Mais pour remplir

» cette tache d'une manière satisfaisante, il ne
» doit pas s'arrêter uniquement à ce que les
» phénomènes ont d'individuel; il faut qu'il di-
» stingue sur-tout ce qui fait la condition géne-
» rale, et nécessaire de chacun d'eux, et pour
» cela il faut qu'il les examine dans toutes les
» modifications que peuvent y apporter leurs
» combinaisons avec d'autres phénoménes; il
» faut aussi qu'il les isole qu'il les débarasse de
» tous les acessoires, qui les voilent; en un mot
» il faut qu'il ne se borne point à une seule espè-
» ce de corps vivant, mais qu'il les compare tou-
» tes, et qu'il poursuive la vie, et les phénoménes
» dont elle se compose dans tous les êtres, qui
» en ont reçu quelque parcelle. Ce n'est qu'à
» ce prix qu'il peut espèrer de soulever le voile
» mistèrieux qui en couvre l'essence. »

Praeterea quum vitae humanae phoenomena inter sese colligantur, ita ut una in altera maxime influant, nec quaedam seorsim considerari queant, nos haudquaquam cognoscere possumus, quanti quaeque functio per se considerata in oeconomia habenda sit. Ex eo pariter fieri debet ut quaedam vivens in corpus institui nequeant experimenta, singillatim quoad unam, eliamque functionem, utque illa, quae instituuntur aliquid obscuri, vel incerti necessario offerre debeant. Sed ut idem observat *Cuvier*: « Heureusement » la nature semble nous avoir preparé elle mé-

» me des moyens de suppléer à cette impossibili-
» té. Elle nous présente dans les différentes
» classes d'animaux presque toutes les combi-
» naisons possibles d'organes, elle nous les mon-
» tre réunis deux à deux, trois à trois, et dans
» toutes les proportions; il n'en est, pour ainsi
» dire, aucun dont elle n'ait privé quelque clas-
» se ou quelque genre, et il suffit de bien exami-
» ner les effets produites par ces reunions, et
» ceux qui resultent des ces privations, pour en
» deduire des conclusions très-vraisemblables sur
» la nature, et l'usage de chaque organe, et de
» chaque forme d'organe. »

In animalibus ad functiones organorum quorundam detegendas, licet experimenta quaedam instituere, quae nunquam, vel raro saltem, ac fortuitu in hominibus institui possunt. Licet scilicet violentas in ipsa manus inferre, atque cultro palpitantia tentare viscera, internasque introspicere cavitates; licet tandem eadem, ad vitae leges detegendas, inter cruciatus occidere. Ex quo quidem saepe saepius arcana naturae phoenomena deteguntur, functionum intelligitur mechanismus, atque vitalium phoenomenorum momenta eruuntur.

Longum sane, nec dissertationis hujus brevitati conveniens, si in epitome quoddam, inventa illa enumerare vellemus, quae post celeberrimum *Harvey*, a periclitationibus in animalia institutis

ad nostra usque tempora facta fuerunt. Id praeterea suparvacaneum pensum esset, quum omnibus iis qui Medicinae ediscendae operam dedere notissima sint. Ast ne cuncta praetermittamus satis sit hoc loco adnotare, quantum doctrinae vasorum lymphaticorum Anatomiae comparatae debeat. Et quidem *Asellius* primus vasa lactea in agnelo detexit. *Joannes Pecquet* experimenta permulta in animalia instituit, quibus incognitum hactenus chyli receptaculum, et ab iis per thoracem in ramos usque subclavios ausam lacteam detexit. *Thomas Bartholini*, et *Olao Rudbek* vasa lactea thoracis, ductus hepatis aquosos, et vasa glandularum serosa invenerunt. *Ruysch*, *Nuck*, valvulas in vasis lymphaticis detexerunt. Tandem ex experimentis, et periclitationibus in bruta a *Glisson*, *Hoffmann*, *Monroo*, *Hunter*, *Fontana*, *Mascagni*, aliisque institutis, systema vasorum lymphaticorum non antea cognitum enunciatum fuit. Quotnam experimenta ad litem illam definiendam, an absorptio per vasa lymphatica tantum, vel etiam per venas efficiatur, a celeberrimus Physiologis instituta fuere! Semper honos, nomen, laudesque manebunt *Haller*, *Magendie*, *Brachet*, *Edwards*, aliorumque permultorum, qui in hanc Medicae scientiae partem, enixis viribus incubuere.

Caute tamen in eruendis deductionibus, ab institutis supra bruta periclitationibus a physiologo, utpote ab anatomico, erit incedendum; nam

multifarius, et hic errorum fons haud infrequens habetur. Praeterquamquod facto ipso demonstrari possunt fallaces illas inductiones in quas physiologi plures inciderunt, qui ab experimentis in animalia institutis, explicationem functionum humano in organismo praepostere deduxere, ratione facili negotio evinci potest, quod experimenta ipsa in errorem haud infrequenter inducere queunt. In brutis enim diversimode, juxta organisationem modificatam, et functionum exercitium modificari debet, nec quae in illis observantur ad unguem humano organismo referri possunt. Potissimum vero id dicendum occurrit de animalium illis speciebus, quae maxime ab homine distant, nam in ipsis, quum omnino a nostra animadvertatur diversa organisatio, et functionum exercitium longe diversum esse debet; unde facilis incertitudini, atque errori aditus patefit.

Pathologiae pariter generalis studium, nec non Jurisprudentia Medica ab institutis in animalia experimentis, eaque non parva mutuantur emolumenta. Et quoad Pathologiam: causarum potissimum nocentium investigatio plurimarum, hucdum densissimis cincta tenebris inveniretur, nisi in animalibus substantiae, atque potentiae plures tentatae fuissent, de quarum natura, nec non humanum in organismum actione nihil antea cognitum erat. Quum vero illae in bruta ma-

gis nobis proxima malos effectus produxissent, exinde deductum est, quod nocenti in organismum humanum pollere possint activitate, atque aedepol, quoad quasdam, quarum audaciores nostram in oeconomiam adplicationem non nunuerunt, suspicionem illam cum re ipsa, factoque convenire compertum est. Sic fungorum plures species, quarum indoles ignorabatur, canibus propinatae, venenatam efficacitatem manifestavere. Sic historiis epidemiarum quarundam ex usu *Secalis cornuti* procedentium, comperimus, depravatum hoc cereale hominibus, aeque ac suibus infensum evasisse. Verum quidem quod potentiae quaedam, quae summopere humanae oeconomiae evadere solent infensae, a hellnis quibusdam impune perferri possunt, atque notissimum omnibus est *Capras* rannunculos, aliasque acres, quin damnum exinde aliquod patiantur, comedere herbas, quae teterrima in homines, edere valerent phoenomena, eandem mortem producerent: ast pro virili parte sat tuto affirmari potest, quod substantiae, atque potentiae illae, quae mammiferis domesticis infensae evadunt, et hominem noxam gignant. Quod si, et quoad hoc tantum inductio probabilis evadit, an ne parum utilitatis humanitati procedit ex cognitione, quod res quaedam nisi deleteriae, certe suspectae evadant relate ad suam in organismum nostrum actionem?

Jurisprudentia vero Medica, utpote recte Clarissimus observat *Orfila*, quantum experimentis in belluas institutis debet! Toxicologiae enim studium tunc ad altum fastigium elatum est, quando venenorum actio, non ex hinc illinc collectis mortis casibus, sed ex institutis supra animalia experimentis, prius animadverti, ac considerari coepit. Praeterea quibus ignotum est, quod hodierno in scientiae Chemicae statu, quum quorundam venenorum organicorum, nec praesantiam, nec indolem in cadaveribus detegere per analysim valeremus, eadem tamen convenientibus in animalibus institutis periclitationibus, plerumque detegimus? Qua quidem in re, quantam experimenta, de quibus sermonem habemus, Medico Juristae praestare valeant utilitatem, nemo est qui non percipiat. Male equidem quis judicaret, putans quod in omnibus circumstantiis, Medicus Legalis ex experimentis in animalia cum substantiis suspectis tantum, venenationem patratam, vel non, eruere valeret. Dantur revera et hic plures exceptiones, utpote in Auctoris nuper a nobis laudati operibus videre est; at ipsae, quum pro maxima parte Medicinae Legalis cultoribus notae sint, ut qui obtinentur resultatus plerumque certitudinis nota signari possint. At quum plures Medici Juristae, et praesertim *Foderé* assertionem *Orfilae* negarant, placet nobis quasdam ex ipso celeberrimo Auctore decerpere,

ad utilitatem experimentorum in bruta instituto-rum quoad hoc magis magisque comprobandam. Ille in doctissimo suo Toxicologiae tractatu ita se exprimit: « S'egli è vero che tutte le sostan-» ze capaci di produrre l'avvelenamento nell'uo-» mo non sono punto venefiche per tutti gli altri » animali, è parimenti certo, che quanto risulta » tossicoso per l'uomo, lo è eziandio pel cane, » in onta all'asserzione contraria degli Autori, » che non fecero esperimenti, e che non hanno » veruna conoscenza di quelli che furono cimen-» tati. Il velenare dei cani adunque va riguarda-» to come uno dei mezzi più preziosi per perfe-» zionare la storia dell'attossicamento nell'uo-» mo. (*Orfila*, Tossicologia T. I.)» Experientiae quamplurimae in animalibus, hoc scopo, institu-tae fuerunt, et Toxicologiam gradum perfectionis suae, ad quem nostris temporibus elata fuit, cer-te iisdem experientiis debere nemo negabit.

Nec Chirurgiae historia factis destituitur, qui-bus comprobet quod brutorum oeconomiae stu-dium, in sui redundaverit utilitatem. Quum e-nim vitae altioris legibus animalia, superiorum saltem classium, obbediant, operationes quas, au-denti manu, a Chirurgiae Cultoribus in bruta in-stituuntur, haud spernenda lumina suppeditare valent, quoad possibilitatem, methodorum qua-rundam operationum, nondum antea a Chirur-gis aliis institutarum. Exempla plura in medium

proferre valeremus, quibus nobis comprobare datum esset, quod multi ex his processibus Chirurgicis, qui nunc bono cum exitu, in hominibus instituuntur, aliquando primitus in animalibus tentati fuerint. Nobis inter haec satis erit tamen animadvertere, arteriarum constrictionem, quae tam utilis inventa est ad Aneurismatum radicalem curationem promovendam, quaeque ab Italis Chirurgiae cultoribus primitus supra bruta instituta fuit. Ast ut de Aneurismatum tantum curatione loquamur, proximioribus nostris temporibus, ex experimentis, et operationibus in bruta institutis a *Velpeau*, *Jamesson*, *Asmann*, caeterisque, nunc *Acupunctura* in Aneurismatum therapia in medium denuo vocata fuit, praesertim a Gallis, et quanquam in hominem usque adhuc, methodus haec experta non sit, tamen experimenta in canibus instituta, effectum tam laudabilem subministrarunt, ut spes haberi possit, in posterum, repetitis in belluas experimentis, et a Chirurgiae cultoribus methodo haec serius perpensa, Aneurismatum radicalem curationem, absque difficili, dolorosa, et forsan etiam aliquando incerta constrictione, *Acupunctura* obtineri posse. Et nobis proximiori tempore, non ne per experimenta in animalia suscepta, solutio tandem litis illius definita est, quae quoad arteriarum constrictionem *temporariam*, uti vocant, ac *permanentem* inter duo praeclarissimos Italiae

nostrae luminaria, *Scarpa* scilicet, atque *Vaccà-Berlinghieri* exurrexerat?

Animadvertatur tamen quod non aequo coronantur semper successu operationes eaedem in homine, atque in brutis susceptae. Sic ex: gr: pupilla artificialis per Scleroticam perforatam, quae optimo cum eventu instituebatur ab *Autenricth* in animalibus, incassum in hominibus tentata est. Id vero manifestum fit propter organisationis inter homines atque animalia dissimilitudinem, tum maxime propter defectum in illis influxus psytici, per quem in iis tantum saepe saepius conditio vitae vegetantis perturbatur. Animalia enim quum tantum praesentibus excrucientur tormentis, nec aliunde futuri periculi rationem sibi efformare valeant, psyticis perturbationibus nullatenus naturae medicantis officium impediunt, aut ab opere distrahunt, unde necessario fieri debet, ut magis dolores patientia eas perferre valeant organicas laesiones, quae in hominem validissimam reactionem universalem causitarent, per quam ad interitum pergeret citissimum oeconomia.

Tandem et ad Therapiam haud spernandae accedunt utilitates, ipsae a periclitationibus in belluis institutis derivantes. Notum jam omnibus est, quod a Pharmacologis omnibus, qua generale traditur praeceptum, nova vel parum notae efficacitatis remedia, tentanda esse antea in brutis,

quam ad vivens corpus humanum admoveantur. Longa scilicet experientia, atque passim occurrentibus tristibus ab insufficienter cognita medela productis effectibus, compertum est, tutum esse, ut ignotis virtutis pharmaca in animalibus tentarentur, unde, quousque liceret, ipsorum agendi ratio notesceret. Qua quidem in re adeo nostris diebus, studio, et opera praeprimis illustrium quorundam Medicorum, progressum est, ut nova, eaque efficacitate mira pollentia medicamina in penu therapeutico habeantur, quorum virtus recte perfecta est, quorumque boni in morborum curatione effectus, quotidie passim animadvertuntur. Quis enim alcaloida plura vegetabilia, quorum efficacitas adeo energica deprehenditur, ad humanum organismum propinare ausus esset, nisi antea, rite perpensis in animalibus eorundem effectibus animo vires addidissent?

Sed quid ultro memorem emolumenta illa, quae ex animalium studio Scientiae Medicae provenere, quum unum tantum celeberrimi *Jenner* inventum, Vaccina scilicet, ab animalibus homini subministrata, luculenter demonstrare valeat, quantum ipsi debeat universa societas? Stet tantum pro adserto a nobis in dissertationis hujusce initiis prolato, benefica Vaccini puris detectio, hisque objurgationes, ac irrisiones illas refellat, quibus nonnulli Medicinam obiter tantum delibantes, animalium studium detrebere conati sunt.

Nos vero, quibus perspecta emolumenta plura sunt, quae Medicae scientiae ex Anatome comparata, atque ex periclitationibus in bruta rite institutis provenere, omnibus viribus, et unius, et alterarum culturam commendandam esse arbitrabimur, in eam adducti sententiam, quod ad illam perfectionem, quam assequi Medicinam praeclarissimi viri nostro conantur saeculo, magnam sane symbolam et genus hoc disciplinarum contribuere debeat. —

THESES

I.

Atresiae quamplures, potiusquam naturales, monstruosae rectius nuncuparentur.

II.

Menstruationis processus, non in sola historia haemorrhagiae mensilis comprehendi debet.

III.

Nervus vagus est solum organum sensitivum pulmonum, et respirandi necessitatem in animalibus ipse solus inducit.

IV.

Vox sic dicta *stertorosa* est symptoma constans adfectionis cerebri, et medullae spinalis.

V.

Si localis processus morbosus lente efficiatur, enormes dilatationes, et mira viscerum incrementa contingi possunt, quin phlegmasia superveniat.

VI.

Corpus extraneum, dummodo actionem suam in viscus aliquod gradatim intendat, aptitudinem, et postea habitudinem ad illius actionem impune ferendam, in viscere ipso producit.

VII.

Ne quis credat phoenomena, quae in animali oeconomia contingunt, legibus chemicis parere.

VIII.

Status morbosus partis systematis organorum, est conditio minus favans ad regularem alius partis evolutionam, organorum ipsorum.

IX.

Creosotum intar remedia deprimentia adnumerandum.

X.

Inter species Amauroseos, illa quae a sanguinis congestione activa procedit, curabilior.

XI.

Falcadina minime cum syphilide confundenda.

XII.

Hypocondriacis optimum remedium est vita socialis.